

279

277

283

273

288

268

328

228

378

178

Ende

Anfang

264

dicunt, quod unguis digitorum ejus creverunt in terram, et barba ejus oblonga dependeat: notans radices et ramos arboris. Verum tamen incolae domus et Christiani orientales omnes venerantur hanc arborem, dicentes, quod antiquissimi libri eorum habent, quod Dominus Jesus stetit ligatus ad illam arborem, interim quod ministri comedebant et bibeant, quia Anna de captivitate Domini Jesu exhilaratus dedit cibum et potum captivantibus. Ea de causa et nos stipitem deosculati sumus. Est autem arbor illa vetustissima etc. Démum regressi sumus in ecclesiam, et orationes praescriptas in processionali diximus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††).

De domo Cayphae pontificis, in qua illusus fuit
Dominus Jesus Christus.

Exeuntes autem de domo Annae pontificis contra domum Cayphae properavimus cum serio et devotione vestigia Domini Jesu terentes. Ad domum autem cum venissemus, clausam invenimus et pulsantes intromissi sumus. Et ingressi ecclesiam orationes signatas diximus, et indulgentias plenariae (††) remissionis accepimus. (B) Haec ecclesia dicitur ad Sanctum Salvatorem, et in loco stat, ubi erat domus Cayphae, in qua domo quanta Dominus Jesus perpessus fuerit, non est Christianus, qui haec ignoret. Ibi enim quaerebant falsum testimonium contra Jesum, nec inveniebant: ibi Petrus tria vice negavit, se hominem illum noscere: ibi Dominus Jesus fuit velatus, consputus, colaphis et alapis caesus quasi tota nocte, et ibi tribus horis in artissimo carcere stetit inclusus. Quapropter haec contemplantes diutius ibi in oratione permansimus, et fletibus, suspiriis ac gemitibus locum replevimus. Deinde cum ab oratione surrexissemus, circumduxerunt nos presbyteri ejusdem ecclesiae per singula loca domus, et primo in chorum venimus ad altare majus, quod detractis pallis nudaverunt, ut lapidem, altaris mensam, videremus. Erat quippe magnus valde, spissus et latus, et est lapidis illitus pars, qui fuit advolutus ad ostium monumenti Domini, de quo dicitur Marci 16,

